

prophetam appellabant, sanctio, quæ conjuges post divortium novis nuptiis impliciti à communione rejiciuntur. Æthiopes saltem laici, antequam à Missionariis instituarentur, divortia habebant arbitraria (vide Relat. Mission. Æthiopiæ).

Leges civiles Occidentalium variant; aliæ etenim nimio rigore, aliæ nimia facilitate exorbitant; ac raræ sunt prorsus, quæ temporum et occasionum vicissitudini non servierunt. Tandem Patribus Tridentinis certam quamdam omnibus romanæ Ecclesiæ mores secutis, disciplinam constituere visum; cùm interim alterius communionis homines lucusque per arbitrariam sibi viam aberrerunt.

Veteres Francorum populi mutuo etiam consensu inducta divortia legitima habebant; quid divortia ex justâ causâ facta? Hujus mutui divortii formulæ exstant apud Marculfum (lib. 2, form. 50), qui circa medium septimum seculum scribebat; ex hisce autem integrum fuisse conjugibus post divortium novum inire matrimonium intelligimus. « Placuit utriusque voti lante, ut se à consortio separare deberent; et quod ita unusquisque ex ipsis sive ad e servitium Dei in ministerio, aut copula e matrimonii sociare se velint, licentiam habeant, » etc.

Post receptas in regnum sub regibus Carolo Magno, et Ludovico Pio leges romanas (Capitul. Caroli et Ludov. lib. 1, cap. 45, et lib. 6, cap. 65, et lib. 7, cap. 35), vetus tamen mansit in divortii disciplina ad normam legum ecclesiasticarum, Africanorum conciliorum, et Decretalium pontificum, quibus omnis, exceptâ adulteriâ causâ, ad divortium aditus præcluditur. Ita vetus Francorum libertas in divortia ab ecclesiasticis legibus repressa, nec à romanis legibus promoveri quidquam potuit.

Mancipiorum christianorum conjugia olim in Gallia, quemadmodum et ubique alibi, maxime non requisito dominorum consensu conciliata, eorumdem dominorum arbitrio abrogabantur. Mancipium dùm manumitteretur, feminam in captivitate ductam dimittens, alteri copulabatur, quemadmodum par erat jus feminis, quæ imprudens servo nupsissent (concl. Vermer. cap. 6 et 20). Quamvis autem temporis successu conjugia servorum dissolvi ecclesiasticis legibus prohiberentur (caus. 29, q. 2), usus tamen in contrarium etiam post novum seculum invalebat.

In magnâ Britannia ea potissimum loca, quæ romanis legibus et titoni parent, pristinas leges secuta fuisse in divortii, etiam post receptam Jesu Christi fidem, Seldenus autumavit (Uxor Hebr. lib. 5). Laudat in eam rem veteres leges regis *Howl-dha*, divortia maritis permittentis, si fortè uxorem deprehendissent liberius aliquid cum altero viro auderent; post divortia autem jus in novas nuptias afferunt. Verùm ex litteris S. Gregorii Magni ad S. Augustinum apostolum Angliæ (Reges. 1. 12, Ep. 32. Vide et Bed. Hist. Angl. lib. 2); tum et legibus regum Anglo-Saxonum intelligimus, obtinuisse ex tunc apud Britannos leges, et disciplinam Romanorum, à quâ deinceps nunquam recessum est.

In Italia Theodoricus rex veterem Saxonum legem innovans (cap. 54), parem edicto imperatoris Constantini supra laudato, morem invenit. Leges Wisigotorum in Hispania divortii iniquissimæ erant (Leg. Wisig. 1. 3, tit. 6, c. 1); nec rex Henricus mitior fuit, qui omnia simul, exceptâ adulteriâ causâ, prohibuit. Apud Burgundos nullum in divortia jus quæcumquæ demùm ex causâ feminis permissum; viris autem tantùm ex causis in Constitutione Constantini designatis (Leg. Burgund. c. 34).

Allemanis constitutum erat, ut in repudiandis uxoribus *coram quinque nominatis, et septem advocatis* solemniter edicerent, eam feminam repudiari, non quòd vitio aliquo aut defectu notaretur, sed quòd altera magis amaretur (Leg. Alleman. c. 55). Porrò hæ leges sexto seculo scriptæ sunt, nempe ante receptam ab illis gentibus fidem.

Synodus Hiberna II, can. 26, in potestate mariti relinquit, si post repudiatam priorem feminam adulteriâ causâ, ad novas nuptias transire voluerit. *Si ducat alteram, velut post mortem prioris, non vetant.*

Porrò illarum gentium prona in divortium licentia ex litteris Gregorii VII ad Lanfrancum, archiepiscopum Cantuariensem, sicut etiam ex alterâ Lanfranci ad Gotricum et Terdevrallum, regem Hiberniæ, ac tandem ex alterâ Anselmi archiepiscopi Cantuariensis, ad Muriardacum, regem ejusdem provinciæ, nota est. Vitio enim populi illi vertunt pronam sicut ad sociandam, ita et dissociandam conjugia consuetudinem, nee tetate nostrâ meliores sunt *liberorum mores*, juxta ac Cambdenus animadvertit.

DE NATURA ANIMÆ,

ET EJUS POST MORTEM STATU, EX SENTENTIA VETERUM HEBRÆORUM;

Dissertatio.

ARTICULUS I.

Inter corpus, animam et spiritum discretio.

Animæ nomen in veterum scriptis ambiguum est maxime, interdum enim sonat rem aliquam simplicem, spirituales, incorruptibilem, immortalem, quæ cogitat in nobis. Aliquibus verò est res quædam, subtili, tenuique, aëreâ, licet materiâ constans, quæ veluti corpore vestitur *spiritus*, cogitandi et ratiocinandi in nobis fons et origo. Anima, posteriori illo sensu accepta, ex veterum plurimorum sententiâ voluptatum plectu trahitur, odoribus, dulci instrumentorum musicorum suavitate mulcetur, circa sepulcra divagans spectandam se prebet, victimarum cruore pascitur, ac tandem ex alio in alium generatione propagatur. Hæc non apud philosophos paganosque poetas tantum, sed et apud veteres Ecclesiæ Patres legas, sicut et libris apocryphis sub ipsâ Ecclesiæ crepundia probatis. Tria ab illis in homine distincta: *corpus*, crassum nempe illud, materiâ compactum, et obnoxium corruptioni; *anima*, aërea, tenuis, ad luminis naturam dotemque accedens; et *spiritus* vel *mens*, spiritalis illa naturæ vis, in animâ veluti in vaginâ condita.

Resoluto corporis cum animâ per obitum nexu, illa vel supra lunam cum spiritu evolat, vel si exacte vitæ scelera respiciant, ad inferna suppliciorum loca deturbatur. Prohorum igitur animas, cùm supernas tenuerint sedes, mors altera manet; fracto enim animæ claustrum, *spiritus* cum sole jungitur; *anima* verò Elysiis illis in sedibus sub lunâ subsistens, nihil sibi facit ad voluptatem reliqui, semper tamen affinem illum retinens ad cognatum corpus formam, ad pristina in terrâ studia propensionem, ad arma scilicet, equos tractandos, jura reddenda.

Patent hæc maxime in scriptis Homeri,

summi illius theologiæ Græcorum coryphææ, agens enim ille (Iliad. 26) de Patrocli animâ, spectandam se per visum Achilli præbente, similem per omnia formam ac heros ille, cui olim incederat, retulisse dicit. Et Odys. 1. 5, 600, Ulysses ad inferos vidisse se dicit *Herculis idolum* (animam scilicet); ipse verò, addit, *apud mortales Deus oblectatur in conviviis* (spiritus videlicet). Et Dido apud Virgilium *Æneid.* 4 de anima suâ post obitum canit:

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

Quamquam hæc satis per se abhorrent à doctrinâ fidei in Scripturis traditâ, in ipsâ tamen Scripturarum phrasi nescio quid non dissimile transeunt. Animam à spiritu sive mente utcumque distingui, sat constat, cùm anima ipsa, in Scripturis nuncupata *Nephesch* sive *Neschamah* vel etiam *Ruah* homini æquæ ac brutis tribuitur. Deus aquis præcepit, ut producerent *reptile animæ viventis et volatilis super terram*. Et paulò infra (Gen. 10, 20), successisse dicitur Deus hominibus, et cunctis animantibus terræ, et omnibus, in quibus *est anima vivens*, herbas ad vescendum. Et Genes. 9, 10, solemini se fœdere obstringit Deus cum hominibus, et *omni animâ vivente*, nempe cum animantibus omnibus: ita pariter, inmissis diluvii aquis perdidit *cuncta, in quibus spiraculum vitæ est* (Gen. 7, 22. Vide et Deut. 20, 16; Josue 10, 40, etc.). Et adiuic: *Ego interficiam omnem carnem, in quâ spiritus vitæ est* (Hebraicè *Ruah*). Ac tandem: *Provideat Dominus Deus spirituum omnium carnis* (Num. 27, 16, et 16, 22). Vide pariter Eccl. 5, 1, 20, 21.

Sed *spiritus* (*Ruah*) sine addito, vel mens (*Binah*) vel duo illa simul, *spiritus intelligentiæ* (Job 20, 5 et 28, 8), uni tantum homini tribuuntur. Porrò hæ loquendi phrasæ in eam fortè persuasionem veteres Hebræos adduxerunt, animam illam, hominibus eandem ac brutis communem, quam in sanguine residere tradit Scriptura Levit. 17, 11, 14: *Anima car-*

nis in sanguine est; et anima omnis carnis in sanguine est, materiâ quâdam constare, et alterius planè esse à mente, nunquam brutis in Scripturâ tributa, naturâ. Luculenter sanè animam sensibilem et rationalem distinguens Philo (lib. *Quod deter. potior. insid.* pag. 170), ait vitam illam animam ipsam esse, quâ vivimus; rationalem verò, quâ ratiocinandi facultate utimur: illam habere nos cum brutis communem, hanc peculiarem. Deus, ait, rationalem illam animam non creavit quidem, sed subjectam habet nihilominus; quippe qui omnis rationis ipse principium sit et origo. Deteriorè illam animam, brutis etiâ communem, nihil esse aliud scias, quam sanguineam; rationalis verò particula est et portio divinæ mentis; spiritualis quædam substantia, et spiritus pariter, alterius planè ab aere moto et agitato naturâ, exemplar tandem et imago divinæ virtutis. Hæc Philo.

Insinuat alibi, animam materiâ quâdam compingi; propositâ enim sibi questione, cur anima videri oculis non possit (de Gigant., p. 285), reponit, non esse inde rectâ consecutione inferendum, animam nequaquam existere; esse enim per universas mundi partes diffusas animas, in aere, in igne in terrâ; astra etiam suis animabus cieri; angelos verò, animas, et dæmones nomine tantum differre (ibid., pag. 286). Si verò exprimit alibi quasi angelos haberet incorporeos (idem, de Conf. ling., pag. 545, etc.), illud tantum insinuat, non corporis cuiusdam materialis clastro teneri illos, sicut hominum animas. Legit autem, quemadmodum Septuaginta: *Videntes angeli Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Hæc autem, ad allegoriam licet detorta explicet de corporis cum animâ conjunctione. Non tamen ut certum, animas sive angelos per aera circumfusus, naturali quâdam in corpora propensione ita ferri, ut in unum tandem cum illis coalescant, quæ sanè habitudo non nisi in substantiâ quâdam materiali residet. Cum tamen nihil satis expressum de corporeâ animarum naturâ habeat Philo, iudicium de ejus sententiâ suspendo.

Reipsâ tamen Josephus (Antiquit. l. 1. c. 4), et auctor veteris libri Henoch (cap. 4) autumant, angelos, ac proinde et animas, quas ejusdem naturæ constitunt, à corpore secretos non esse. Non semel animam à spiritu distinguit auctor libri Henoch: *Spiritus et animæ hominum suspirant; et paulò infra: Spiritus animarum ho-*

minum morte jam factorum, ad portas usque caeli suspiria eorum pertigerunt: et c. 9: Gigantes, à spiritibus et carnis copulâ procreati, erant spiritus nequam (dæmones), spiritus à corpore carnis suæ defectente. Agnoscas postremis hisce verbis sententiam in Rabinorum quorundam scriptis (vide Bartoloc. t. 1, p. 55), et in S. Chrysostomo pariter legendam (Homil. 29 in Math. p. 282), animas scilicet impiorum interdum in dæmones transmutari; quæ sanè cum iis congruunt, quæ tradit Josephus de Bello l. 7, c. 25, et post ipsum S. Justinus martyr. Apolog. 2, dæmonum in hominum corpora infestationes ab ipsis quandoque efflic, impiorum animabus è corpore separatis.

Tribuunt etiâ rabbi animabus post relictum corporis contubernium subtile aliud corpus, quod *vas animæ* appellant. Habent etiam persuasum, impiorum animas post obitum vestis ejusdem genere circumfundi, quæ hæc inductæ tormenta perpetuantur; sicut vicissim justorum animas splendido quodam paludamento et fulgenti corpore vestiri, quo pariter felicitatem et fulgorem beatitudinis omnem capere assuescant (vide Rab. Abd. Siphura. in Or. Haschem, p. 91). Vestigia quædam ejus opinionis deprehendimus in Apostolis (Joan. 20, 25, 26, 27). S. Thomas nunquam se fidem addicturum Apostolis, qui spectâsse se corpus Jesu Christi affirmabant, professus est, nisi suis manibus fixuram clavorum et vulnorum in ejus pedibus, manibus, ac latere explorasset; quasi scilicet ambigens, num imago corporis Jesu Christi vel ejus anima, quâ spiritus tantquam veste induchatur, faciem sociis fecisset.

Animam à spiritu distinguere visus est Daniel (Dan. 2, 86), cum ad laudes Domini invitaret spiritum item et animas: *Benedicite, spiritus et animæ justorum, Domino; neque enim ille spiritum nomine angelos, et beatos designare potest, quos antea ad eadem studia invitaverat; sicut etiam virtutes colorum et spiritus Dei, nempe ventos validos.* Confer. Dan. 3, 58, 61, 65, 86. Auctor libri de Assumptione Moysis (Apud Clem. Alex. p. 6, Strom. Evod. ad Aug. Ep. 259, inter Aug.) narrat, Josue in ipso monte, ubi Moyses diem clauserat, versanti obvios factos geminos Moyses, quorum alter inter medios angelos superas caeli sedes petebat, alter in terrâ subsistens conditus est: prior Moyses erat viri anima, alter crassum ejus corpus. Sadducei spiritus omnes et angelos negantes (Act. 23, 8), admittebant reipsâ tamen rationalem quâdam animam, in ejus tantum

immortalitatem inquires; residere illi quidem in homine fatebantur recogitans aliquid, hoc ipsum tamen immortale esse pariter, et spiritum negabant.

ARTICULUS II.

Animæ immortalitas.

Immortalitatis animæ dogma constanti sanè religione tenerunt non Hebræi tantum, sed Chaldaei pariter, Indi, et Egyptii, antequam Græci quidquam de illo nossent. Primos ejus auctores Egyptios asserit Herodot. l. 2, c. 123, addens quosdam se nosse apud Græcos qui ejus constituti primitus honorem alii quidem seriùs, recentius alii vindicarent; nosse se tamen eorum vel nomina indicare, ut illorum honori utcumque consulat. Quibus verbis tacite fortè designantur Thales Milesius (Cheril. apud Laert. l. 1, p. 16), et Pherecides (Tull. Tuscul. ques. lib. 1, cap. 16), quos Græci primos hujus dogmatis auctores arbitrantur; constat tamen receptam ab aliis docterinam illos Græcis tradidisse.

Pausanias (Misen. cap. 4) ejus originem refert ad Chaldaeos, et Indiarum magos, ex quibus derivatum dicit in Græcos, et in Platonem potissimum. Sed vera ejus origo non nisi apud Hebræos quaerenda, in Moysè scilicet cæterisque Scripturæ libris; in patriarchis ac in eorum familiâ, à Deo electâ, non traditio tantum constans et certa dogmatis de immortalitate animæ occurrit, sed et hujus argumenta, ac veluti fundamenta rei, cui veluti tota Religionis moles incumbit. Moyses vetustissimus omnium, cujus scripta supersunt, narrat, Deum post compactum hominis corpus, inspirasse in faciem ejus spiraculum vitæ (Genes. 2, 7). Cum verò de cæteris animantibus agit, nihil habet simile.

Spiraculum hoc vite aliud sanè habendum est, ac sensibile aliquid et materiale; constat enim Deum purum esse spiritum, nec Hebræos unquam sive animâ Deum ipsum constare, sive corpore compactum, tenuisse. Est ergo spirituale aliquid, et mens ipsa, sive anima rationalis, tunc in hominem infusa. Hunc eundem spiritum retrahit ab homine, cum viventem perimit (Job. 34, 14); hoc pariter intelligendi facultate instruitur (Job. 32, 8); hoc vitæ donatur (Job. 33, 4); lampas est seu lucerna Domini, spiraculum hominis, juxta Proverb. 20, 27. Inde verò Platonici (Plato in Phædr. pag. 78, 81, 82, 95, et in Timæo pag. 99), et veterum alii

deluxisse censendi sunt, animam hominis effluvium esse quoddam et Dei ipsius portioem, ex ejus ore spiraculum. *Divinæ particulae anima* (Horat. lib. 2, satyr. 2). Cum data hominibus anima tanquam portio sit divinitatis, ait Cicero, Tusc. qq. l. 5, num. 48, nulli, præterquam Deo, valet comparari: *Italis nihil est aliud, ait Seneca epist. 56, quam in corpus humanum pars divina Spiritus mersa.*

Cum Deus creandi Adam consilium agerent: *Faciamus, inquit, hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Genes. 2, 26). Porro nulla est corporis cum Deo similitudo, sed in animâ tantum et ratione. Cum pariter Deus ipse immittere diluviî aquas statueret (Gen. 6, 3): *Non permanebit, a1, Spiritus meus in homine, quia caro est.* Quis autem Spiritus iste, morte hominis à Deo reductus (Psal. 105, 29), nisi Spiritus ille divinus, qui juxta illud Psal. 77, 39, *Spiritus est vadae et non redies?* De hoc puriter Spiritu dictum est Eccl. 12, 7: *Levertur pulvis in terram suam unde erat, et Spiritus reseat ad Deum, qui dedit illum.*

Fatemur nos quidem, eas interdum loquendi phrasas occurrere in Scripturâ, quæ brutorum et hominum naturam æquæ videntur; quasi scilicet ambo hæc eodem spiritu, et divini orâs spiraculo animarentur. Communis hæc vocabula *Animæ, Spiritus, Spiraculum*, datas utriusque huc creaturæ generi communes animas designant; hominum et brutorum interitus iisdem non raro vocibus exprimitur: *Asperit Deus spiritum ex omni carne* (Psal. 105, 29); cibum et vitam omnibus æquè animantibus suppeditat; si faciem avertat, omnia turbantur; *Auferes spiritum eorum, et deficiet.* Deus diluviî aquis immissis interfecit omnem carnem, in quâ spiritus vitæ est (Gen. 6, 17, et 7, 15); terris et aquis injungit, ut producant *animam viventem*, seu animantia vitæ et animâ donata (Gen. 1, 20, 21, 27); et post diluviium foedus interit cum omni animâ vivente (Gen. 9, 10); ac tandem animam esse in sanguine, habetur Levit. 12, 17. Quibus omnibus loquendi phrasibus insinuari videtur ambigens esse maxime phrasæ illas: *Animæ, Spiritus divini Spiraculum*, nec satis aptè immortalitatem animæ probare, quippe quæ mortales brutorum animas æquè designent.

Nihil tamen est quod facesset nobis negotii vocem ista allinitas, quemadmodum nihil facit, dum familiari sermone soleamus interdum iisdem vocibus exprimere rationalis animæ operationes, quibus et brutorum motus ac sensus

animæ functiones. Quis enim rectè inferat ex hæc vocum cognatione cognatas pariter esse utriusque generis animas? Dum occasio reposcit, satis exactè definimus, quid nobis, quid brutis conveniat. Eadem pariter cautio in Scripturâ. Si populares quoque voces usurpans, homines à brutis distinguere non satis videtur, cum tamen res ipsa poscit, quid homines inter et bruta distet, satis luculenter exponit. Assertit peculiaria quædam de homine, quæ nunquam de belluis affirmaret; et si quando paria de utrisque loquatur, sermo tunc est tantum de vitâ corporis, de animâ sentiendi facultate instructâ, quam brutis æquè ac hominibus vindicant omnes. Quare in brutis anima, spiritus, spiraculum à Deo datum deductumque ad arbitrium, nihil est aliud, quam vitâ corporis, in sanguine potissimum residens. In homine verò vocibus illis interdum designatur anima sensilis, æquè et rationalis; non rarè etiâ rationalis tantum, etc., quod ex sermonis contextu satis discernitur.

Legimus, e. g., Abrahamum senio confectum obiisse, et congregatum esse ad populum suum (Gen. 25, 8). Ad quem, rogo, populum? an ad Thare, Nachor et Heber? Nunquam profectò ille. In Chaldaea et Mesopotamiâ viri illi sepulturae mandati, corpore ab illo discreti manserunt; cum in speluncâ, pretio ab ipso comparatâ, in Chanaanite Abrahami cadaver jactasse constat. Anima ergo viri sancti patrum suorum animas convenit, undè pariter cum illis resurrectionem in loco destinato opperiens.

Jacob, accepto de nece filii sui Joseph nuntio, ejulans clamabat: *Descendam ad filium meum in infernum* (Gen. 37, 42), in sepulcrum scilicet. Nunquam sanè duo simul cadavera, suum nempe et filii, jungi posse nôrat moestissimus pater, ratus non alium concessum charissimo filio tumulum, quam carnivoræ ejusdam belluæ ventrem; sed alterius vitæ, cum illo consuetudinem suspirabat.

Cùm Deus ad Moysen locutus edicit: *Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel* (Num. 20, 24); et cùm pariter ad Moysen (Deut. 32, 50): *Conscendens (montem Nebo) jingeris populus tuus; hæc sanè ad litteram nunquam exponerentur; constat enim Hor ubi Aaron, et Nebo ubi Moyses diem clausurunt, montes esse, illum, Arabiæ Petrææ, hunc Moabitidis, disitos planè à Mesopotamiâ, Chaldaea et Chanaanite, ubi avita illa patrum Hebræorum sepulcra. His ergo phrasibus apertissime instrumur. alterius vitæ,*

in quâ simul omnes convenirent, spem inditam Patriarchis; quâ pariter lactatus David dolorem suum in obitu filii ex Bethsabæe nati solabatur (1 Reg. 12, 25): *Ego vadam ad eum, ille non revertetur ad me.*

Deus è rubo ardenti Moysen affatus, dixit (Exod. 3, 6): *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob.* Non est ille profectò Deus mortuorum, juxta ac Jesus Christus observat (Math. 22, 32); vivebant ergo, seu alterâ planè vitâ, Patriarchæ. Core, Dathan et Abiron hiscentè terrâ absorpti: *Descenderunt viri in infernum* (Num. 16, 30, 35); quibus verbis tacitè insinuat, quantum sapimus, superstitès adhuc raptos illos in loca suppliciorum, datâ proportione ut olim Henoc et Elias in amœnissimum locum, superstitès pariter, translati sunt. Satis autem his omnibus insinuat, receptam fuisse apud Hebræos tum de alterâ vitâ, cum de animarum immortalitate persuasionem. Confer loca parallela sæpè in Scripturâ (1).

Jacob ad obitum decubens, morbi tædium solabatur spe salutis et redemptionis: *Salutare tuum expectabo, Domine: aliam planè salutem in æternitate sperabat. Cur Balaam tantis votis optabat: Moriatur anima mea morte Justorum (Israelitarum nempe), et fiant novissima mea horum similia* (Num. 23, 10)? cur insuper post longa expectationum tempora visurum tandem se liberatorem Israel, quem veluti à longè venientem prospicit? cur, inquam, hæc omnia, nisi tamdiu in alterâ vitâ superstitem se futurum expectat, quamdiu spel illius tempora impleantur? Quid tandem factum est de promissionibus illis, quibus se Deus obstrinxit Abrahamo: *Ego ero merces tua magna nimis* (Gen. 15, 1)? quid, inquam, contulit Deus magnificis hisce promissionibus satis dignum, et tanto remuneratore par in hoc mundo? Sperandum ergo supererat animæ ejus Patriarchæ præmium illud, sanè post obitum in alterâ vitâ.

Aliud argumentum, intentum convincens, ex eo deducitur, quòd Hebræi mortuos ad vitam revocandos crederent; quòd per visum mortalibus apparent interdum; quòd de futuris eventibus consulere mortui. De mortuis ad vitam revocatis (3 Reg. 7, 20, 25), ab Elia et ab Elizeo (4 Reg. 4, 34, 35, etc.), ejus

(1) Prov. 1, 12: *« Deglutiamus eum sicut infernus viventem. »* Et Psal. 54, 16: *« Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventès. »* Et Psal. 9, 18: *« Convertantur peccatores in infernum. »*

etiam pœstri Prophætæ cadaver defuncto alterius corporis vitæ fuisse et salutis (4 Reg. 15, 20, 21), legas in sacrâ Scripturâ. Anna mater Samuelis, Dei esse virtutis dicit *dedecere ad Inferos et reducere* (1 Reg. 2, 6). Do reditu è captivitate Babilonica et Hebraicâ liberatione sub resurrectionis nomine et emblemate agunt Prophætæ non infrequenter (Ezechiel. 37, 1 Osee 13, 14). Porrò de resurrectione dogma ubique apud Judæos, exceptis Machabæorum ætate Sadducæis, constat inter omnes. Sicut et Jesu Christi resurrectio Judæorum quàm plurimis probatur: ac tandem Lazarus sub ipsis, ferè dicam, omnium Israelitarum oculis rediit ad vitam; sicut et alios ante illum nonnullos Jesus pariter suscitaverat. Frustra autem expectaretur resurrectio mortuorum, si unus esset animæ et corporis interitus.

Mortui per visum spectati non infrequenter in veteri Testamento leguntur; quorum luculentissimum est exemplum Samuel à pythoniis excitatus (1 Reg. 28, 15, etc.); Jeremias pariter Judæ Machabæo spectandum se per visum obtulit (2 Mach. 15, 14). Gradientem super undas maris nocte intempestâ Jesum spectantes Apostoli phantasma judicârunt (Math. 14, 20, 26), ac tandem Jesus ipse post resurrectionem suam sese offerens Apostolis: *Videte, ait, et palpate, quia spiritus carnem et ossa non habet.* Persuasum habebant rabbini, nunquam assignatas sibi sedes obtinere animas posse, sive in Paradiso sive apud inferos, nisi prius sepulture corpus mandaretur, quin et ad conditum in terrâ corpus invisendum ventilare illas frequenter, quid cum illo fieret, certiores se facturas (Bereschit Rabb. c. 22, Talmud tract. Sanhedrin. c. 4): tenent autem, duodecim primorum à morte mensium spatio factum esse ut pythonissa animam illam Samuelis, quæ rediit ad corpus, revocaret; frustra enim eâ temporis periodo elapsâ, Samuele jam in Paradiso recepto, mulier illa laborasset. Ad necromantiam quod attinet, cavet Moyses Levit. 19, 31, et 20, 6, 27, ne interrogentur illi, qui mortuos consulunt; quod capitale esse, tam interrogantibus, quàm ariolis illis, decernit. In his omnibus locis usus est voce *Ob* seu *Obol*, quæ pariter recurrit 1 Reg. 28, 5, ad designandam pythonissam, quam Saut consulit, quæque ejus regis precibus Samuelis animam revocavit. Cantum est pariter in Deuteronomio 18, 11 (vide et Isai. 8, 19), ne querant à mortuis veritatem.

Aperta sunt hæc ad demonstrandam Hebræorum persuasionem de animarum post obitum vitâ et immortalitate. Quicumque autem in Synagoga animæ immortalitatem negarent, veluti Sadducæi, et qui pariter solvi, et in nihilum abire illas tenebant, uti Maimonides, et Kimchi (Maimon. et alii quidam, ut D. Kimch. in Ps. 1, 5, et 104, 29), veluti hæresis notâ inurebantur, utpote qui contra receptum apud gentem dogma pugnant. Fit inde, ut ex ipsis immortalitatis animæ adversariis argumentum deducatur ad adstruendam communem Judæorum pro eadem ipsâ immortalitate sententiam; quâ etiam in re valeat impiorum hominum illud supradictum Ecclesiastem 5, 18, 19, 20: *Unus interitus est hominis et jumentorum; sicut moritur homo, sic et illa moriatur, similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius; cuncta subjacent vanitati, et omnia pergunt ad unum locum. De terrâ facta sunt, et in terram pariter revertuntur. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendant deorsum? Quorum cavillationes ita vir sapiens exsulat Eccl. 12, 7: *Et revertetur pulvis in terram suam, unde erat; et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Claudat tandem sermonem (ibid. ver. 15): *Deum time et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo, et cuncta quæ sunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit.**

ARTICULUS III.

Animarum post obitum fata.

Angelum mortis præsidem, sive invitam, sive ultrâ parentem animam è corpore redudentem, veteres Hebræi agnoscebant. Quicumque præcoeci et violentè morte interirent, perinde habebantur, ceu victimæ divinæ ultionis, angelo mortis et exterminii destinatae, pœnas daturæ sive criminum suorum, sive parentum, sive regum. Ita criminum suorum meritò percussus sunt à Deo Her et Onan filii Juda (Gen. 38, 7, 10); primores natu Egyptiorum gladium senserunt angeli exterminatoris (Exod. 12, 15, 29). Israelitis murmuris rocos, et copias Sennacherib (Isai 37, 56, et 4 Reg. 19, 55) perdidit angelus mortis; Septuaginta in Job. 33, 25, legunt: *Si fuerint mille angeli mortiferi, unus eorum non vulneraret eum;* et Job. 56, 14: *Morietur in tempestate anima eorum, et vitæ eorum vulnerata ab angelis.* Et Salomon Prov. 17, 11: *Semper jurgia querit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

In vitâ Moysis vulgatâ à D. Gualmino legimus, Samaelem principem demonum articulum expectasse interitum Moysis destinatum, quò scilicet virum percussis, secum auferret animam; Deum verò id officii Gabrieli commississe. Id muneri, quòd tantum non aunderet, precario à se removit Gabriel; removit et Michael, ac Zinghiet; sed malus angelus Samael reusatum ab omnibus in se suscepit. Accedentem his repulit Moyses, ac tandem micantis gloriæ suæ fulgore ocolorum illius lucem extinxit. Tunc egilator Deum precatus est, ne angeli mortis potestati permitteretur; ad quem voti competem factum ipse Deus, adhibitis unâ secum Michael, Gabriele, et Zinghiele, accedens, animam impacto ori ejus osculo atraxit, juxta illud: *Moses servus Domini mortuus est super os Domini* (1). Sed recta hujus sententiæ expositio est, Moysen juxta divinorum verborum fidem oblitte.

Doctrina est Rabinorum (Talmud. Vide Buxtorf: *Synag. Jud. c. 55, pag. 507*), angelum mortis ægroti vel animam agentis capiti fulgentem quemdam gladium vibrantem assistere. Ejus aspectu terribis miser os diducit, statimque angelus tres venenatas guttas gladii sui cuspidè intra apertas fauces demittit, quarum priore statim æger extinguitur, altera atro mortis colore inficitur, tertia tandem solvitur in cineres. Statim post peremptum hominem, angelus ille in primo, quod occurrerit, vase aquâ pleno venenatum gladium eluit, unde noxia qualitas atque communicata. Quare Judei totam effundunt, fortè tunc in domo occurrentem, aquam, meta ne latex ille inficiatur.

Tenent pariter, animam post obitum ad viduatum corpus ventilare frequenter; et ne errare in tenebris cogatur, septem dierum spatium incensam assiduè lampadem in conclave detinent (Bartoloe. l. 2, p. 147. Buxtorf. *loc. cit.*). Illato autem in tumulum cadavere, angelus mortis monimento assidens, revocat iterum animam in corpus momento mansorum, tantùm scilicet, quamdiu stare nemel possit. Stantem Angelus catenâ quâdam partim candente, et partim argente bis percutit: ad primum icetam ossa friantur, ad secundum dissipantur; tertio tandem cædens totum corpus in cinerem dissolvit. Succedentes tunc boni angeli dispersa colligunt ossa, et corpus iterum monumento restitunt (Buxtorf. *Synag. c. 55*).

(1) Dent. 31, 5: « Mortuus est Moyses juxta hente Domino, (Hebr.) Super os Domini. »

Sed nihil tale occurrit, sive in Scriptura, sive in precis Judeis. Id tantummodo apud Origenem et Theophylactum de resurrectione Lazari agentes ad Joannem 11, 45, Judæos, et paganos persuasum habuisse, animas post obitum aliquo temporis spatio, illato in sepulchrum corpori assistere; cui falsæ prorsus opinioni destruendæ clamavit Jesus: *Lazare, veni foras*.

ARTICULUS IV.

Judicium Dei in animas.

Legimus Lucæ 16, 22, animam Lazari mendici transtulisse angelos in sinum Abrahami; certumque tenent Rabbini, S. Michaeli manu justorum animas Deo presentari (Vide Targ. in Cantic. 4, 12, et Resbith Chochmah c. 5). Refert etiam Josephus (Antiquit. l. 18, c. 2; et de Bello, lib. 2, c. 12), receptum esse apud Phariseos, impiorum animas judicium sub terrâ subire, damnarique ad inferni supplicia. Agnoscent Judei duplex quoddam judicium, privatum post obitum, et generale post resurrectionem. Prima dies tizzi, que caput est anni, judicio divino in homines reservatur, quamquam tunc rationes potius supputat, seu in examen revocat animas ad infernum jam destinatas, veris quam judicat.

Talmudiste (Talmud. in Gemar. tract. Rosch Haschama, c. 4), juxta doctrinam Somez, decem tres hominum classes coram judicio, destinata ad eam rem die, sistendas, justos, impios, et medios quosdam homines inter justos et impios. Priores illi eternâ statim vitâ donantur; impii inferorum suppliciis additi; medi illi homines, sive Judei fuerint, sive gentiles, ad inferna unâ eum corpore descendunt, ubi ascendentes et descendentes duodecim mensium spatium, ascendentes nempe ad corpora, et iterum inferna loca repetentes, plorabunt. Evolutâ hâc temporis periodo, corpora absumentur, amburentur anime, quæ ventorum impetus sub pedibus usque justorum disperdet. Sed hæretici, et epicurei, qui legem negant, et resurrectionem mortuorum; tyranni, sub quibus terra olim tremit, et illi omnes, qui exemplo Jeroboami, filii Nabath, populos cogent ad crimen, per secula in inferna punientur. Agnoscebat ergo Judei, quantum ex his intelligimus, genus quoddam purgatorii, quâ de re infra fusiis. Modò Scripturâ et veteris Instrumenti testimonio constitutas est locus quem Paradisum vocant, et Infernum.

ARTICULUS V.

Paradisi felicitas.

Nihil satis luculentum apud Moysen de vitâ æternâ ac futuri statû felicitate, justorum præmio destinata; insinuat tamen hæc omnia non obscure nec infrequenter. Deus ad Moysen ait, Exod. 33, 30: *Non videbit me homo, et vivet, quasi scilicet post obitum tantum Dei visio homo sit fructuosus. Deus Levit. 18, 5, pollicetur: Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis. Et Deut. 50, 15, 19: Considera quòd hodiè proponerim in conspectu tuo vitam et bonum (si nempe Dei legibus parueris), et è contrario mortem et malum (si deteriora exempla sequeris). Profectò nec ea, quæ in corpore est, vitâ satis æquum est pro meritis justorum, morigeros se divinis jussio-nibus exhibentium, præmium; neque satis respondet poena mortis sceleris eorum, qui legem Dei prævertere ausi sunt. Experientia pariter habemus compertum, viros illos, qui justissimi habentur in hâc vitâ, non continuo et felicissimos esse, et diuturnis agere in terris, sicut vicissim impiis quandoque omnia vellicantur; optima nempe corporis habitudo, vitâ diuturnior. Manent ergo in alterâ vitâ æterna præmia et supplicia.*

Abigal Davidem effata ait (1 Reg. 25, 29): *Erit anima domini mei custodita, quasi in fasciculo viventium, apud Dominum Deum tuum. Porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu et fasciculo funde. Quid fasciculus viventium, nisi justorum in alterâ vitâ felicitas? Quid animæ rotatio, nisi impiorum in Inferno supplicia?*

Frequentissimè in psalmis et prophetis sub figurarum emblematis constituta viris probis felicitas in Iterâ vitâ designatur; veluti eum justorum animæ potandæ dicuntur torrente voluatis. Hæc pertinet fons vitæ, quo inebriantur; instructissimum illud convivium, cui assident commensales; terra viventium, quam incolent; regnum œolorum, ad quod invitantur; corona gloriæ, quâ redimuntur; nitor ille et fulgor majestatis, quo vestientur (Dan. 12, 3; Sap. 3, 7).

Martyres sub altare Dei exhibet S. Joannes, Apoc. 6, 6; animas Moysis et sanctorum sub throno Dei collocant Rabbini (Vide Vindeo de vitâ functorum Statu sect. 7); in sinu Abraham constituit Jesus Christus (Luc. 16, 23). Samuel Saül per visum sese offerens, objurgat (1 Reg. 2, 15): *Quare inquietasti me?* Jesus Christus

ad latronem illum probum (Luc. 23, 43): *Hodiè mecum eris in Paradiso.* Ipse pariter Jesus comparat regnum œolorum convivio (Matt. 8, 11; Luc. 13, 28), cui nec fatue virgines, nec impii, nec veste nuptiali destituti assidere permisi sunt: sed rejecti illi in tenebris exteriores projiciuntur, ubi est fletus, desperatio, conscientie angores, et stridor dentium. Agit alibi de vitæ hujus felicitate, tanquam de regno, in quo primas tenent amici et fidissimi quique ministri (Matt. 20, 21). His omnibus satis instruitur, eandem fuisse Hebræorum olim; quæ et nostri temporis, persuasionem, de future vitæ felicitate, quam magnificis verborum emblematis exprimebant.

Quantum justorum in alterâ vitâ locus destinatus planè est, et dissitus maximè ab inferiorum carcere: *Inter nos et vos, ait, chaos magnum firmatum est* (Luc. 16, 26); cruciat tamen, et maximè cruciat impius sub eorum velot oculis exposita justorum felicitas et gloria (Sap. 5, 5): *Hi sunt, ita illi inter se reputant, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos inveniati vitam illorum vestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.... Talia dixerunt in Inferno hi qui peccaverunt. Impius ille dives Lazari mendici felicitatem oculibus testis spectavit* (Luc. 16, 23, etc.), rogavit Abrahamum, ut in mundum mittere Lazarium dignaretur, quò fratres suos moneret, ne quid committerent, ut ad æternâ hæc supplicia damnarentur. Auctor quarti Esdræ (4 Esdr. 4, 36, etc.) narrat, justorum animas clamare ad Dominum in promptuariis suis in hæc verba: *Usquequò spero sic? et quando veniet fructus aræ mercedis nostræ? Et respondit ad ea Jeremiel archangelus, et dixit: Quando impletus fuerit numerus seminum in vobis. Quæ sanè plurimum quadrant cum illo Apocalypsis 6, 10, ubi martyrum animæ sub altare posticæ clamant ad Dominum: Usquequò non vindicatis sanguinem nostrum? quibus responsum est, sustinerent adhuc modicum, quoad usque fratrum et conservorum suorum numerum imple-retur, qui omnes vitam suam pro Domino essent daturi.*

ARTICULUS VI.

Infernum supplicia.

Inferni locus designatur in Scripturâ sub nominibus tenebrarum (Ps. 87, 13, 14, et 1 Reg. 2, 9), perditionis, corruptionis, terræ

oblivionis, silentii (Psal. 94, 17, et 15, 47, 3, in Hebræo), profunditatis, procellæ, abyssi, putei (Psal. 68, 16), umbræ mortis (Psal. 88, 7, 8, Job. 10, 22), loci horrois et confusionis. **Moses** in Israelitis adversus Dominum refractarius invecus, ait (Deut. 32, 22): *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad Inferni novissima; denorabitque terram cum germine suo, montium fundamenta comburet.* Habemus hic constitutum ignem subterraneum Inferni, locum perditionis imo in terræ fundo sub ipsis montium fundamentis, sub aquarum abyso. Hebræi etenim terram et montes aquis imponunt; aquis autem inferiorem collocant Infernum. In imo hoc carcere torti gigantes ejulant (Job 25, 5): *Gigantes genuit sub aquis.* In hunc locum impij veluti morticina in loca quædam immunda projiciuntur (Psal. 49, 15, et 144, 7). Idem pariter locus horrois, incognitus, impervius obtutibus hominum, oculis Dei nudus est et apertus (Job 26, 6; Prov. 15, 11).

Hæc de penis Inferni, Isaias 66, 24: *Cadaverum virorum, qui pravaricati sunt me: vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur, et erunt usque ad satiætionem visionis universæ carni.* Jesus Christus Matthæi 9, 44, inferno accommodat hunc Prophetæ locum. Mulieris prostituta vias deducere ad Inferos ait (Prov. 2, 18, et 9, 18) Salomon, ad sedes nempe *Rephaim*, veterum scilicet gigantum, qui vias suas ante diluvium corruptentes, nominis sui terrore universum concusserunt. *Vir, qui erraverit à viâ doctrinæ, in cætu gigantum commoratur* (Prov. 21, 16). Ibi positos gigantes nulla manet egrediendi spes. Psalmista Psal. 78, 41: *Aut medici suscitabant* (Hebr. aut *Rephaim* seu gigantes, resurgent) *et confitebantur?* Isaias 26, 14: *Morientes non vivant, gigantes non resurgant; propterea visitasti, et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum.* Et de Israelitis agens, futurum denuntiat, ut à Deo in vitam lucidioris imbre demisso revocentur; sicut vicissim in eorum adversarios deturbabit Deus terram *gigantum* (Hebr. *Rephaim*), sub terrâ nempe gigantes claudens, in tenebrico quodam carcere (Isa. 26, 19). Vide etiam Ezechielis 31, 15: *Operi eum in abyso; et Jeremias Thren. 2, 32: Venatione cepert me quasi avem inimici mei grati. Lapsa est in lacum vita mea, et operaverunt lapidem super me. Inundaverunt aquæ per caput meum; dixi: Perii. Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo.*

Congruunt postrema hæc Prophetæ verba cum Psalmistâ Psal. 68, 16, Deum rogante, ut

unquam permittat, ut in abyssum deturbetur, nec Inferni fauces super se claudantur. Nec incongruè eò pariter referretur insomnium Eri, de quo Plato de Rep. lib. 40. Vir erat Armenius, qui in prælio tanquam mortuus relictus, integer et incorruptus biduò post in sedes suas relatus est; et cum evolutis 12 diebus pyræ tanquam defunctus imponendus esset, ad vitam reversus, quæcumque in alterâ vitâ spectaverat in frequenti auditorum coronâ narrare aggressus est. Referebat autem, se unâ cum confertâ mortuorum turbâ, coram judicibus stetisse; ad judicium autem illorum imperium justos cæli alta tenuisse, ad dexteram sedentes; impios verò rejectos ad sinistram, quos operimentum quoddam ad usque terræ profundissima demissum tegebat. Addebat se, cum suo ordine judicandus accessisset, audivisse à judicibus, oportere ut annuntiandis iis, quæ viderat, regrederetur in terram. Quibus oneratus jussio-nibus sedulo exinde omnia spectavit, quò certiores de illis faceret viventes; animadvertisse autem, animas, quæ in cælum ascenderant, quæque sub terram rejectæ fuerant, per eodem veluti canales unde iverant, regredi deinde singulas; fulgentes quidem et puras animas, quæ e cœli plagis venirent; sordescentes verò, quæ ex Inferis ascenderent. Ut autem veniebant, statim se conferbant in amplissimum quoddam pratium, quasi à labore fessæ solatium quoddam capturæ; ibi verò, quæcumque in terrâ consuetudine quâdam fuerant conjunctæ, amplexu et propriorum eventuum narratione prioris amicitia vinculum magis magisque stringebant.

Muldebantur eo privilegio animæ scelestissimorum virorum, tyrannorum et hominum humano generi perniciosissimorum; cum enim illæ ad ostium, aditum tentaturæ, accederent, terrâ renitente, ingenique mugitu reboante, repellentur. Aderant non longè viri quidam terribiles, ignem ejaculantes ex oculis, qui regredi eò, unde exierant, nolentes reluctantesque cogebantur. Hæc Armenius ille, consona referens tum præjudiciis, quibus ipse tenebatur, tum gentis suæ de statu animarum post obitum persuasioni.

In hanc ferè sententiam docent Rabbini, defunctorum animas ire et redire ad Inferna, patentibus illis duodecim priorum mensium ab obitu spatio tenebricosi illius carceris foribus; quanquam scelestissimorum animæ ita in supplicis tenentur, ut ne momento quidem vacent à pœnâ. Liber Henoch narrat, S. M.

chaeleni à Deo jussu, Semiaz aliosque perduelles angelos comprehendisse, onerasse catenis, ad inum terrâ fundum reptasse, ubi 70 generationum spatio torquebantur; quibus evolutis; sisentur ad judicium, ac deturbantur præcipites in chaos ignis æterni, nigro quodam in loco detenti, catenis onerati, æternis cruciatibus addicti. Tandem gemina fermè animadvertas in Apocalypsi 20, 5. Angelus è cælo descendit clavem tenens abyssi, dæmonem arripit, veterem illum colubrum alligat, in abyssum deturbat, ostium super ipsum claudit, munitque sigillo, ut aditum omnem interdicat.

Sed veteris Testamenti documenta, ex occasione illius somni intermissa, iterum resumamus. Isaias 14, 9, etc., de rege Babylonis ait: *Inferum subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitabit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de solis suis, omnes principes nationum. Universi respondebunt et dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut et nos, et nostri similes effectus es. Detracta est ad Inferos superbia tua, conecidit cadaver tuum; subter te sternetur tineæ, et operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes. Ad Inferum detraheris in profundum lacu. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient: Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna? Spectare licet in hoc Prophetæ loco reges et principes in Inferno dignitatis suæ insignia quædam retinentes, et veluti solatium aliquod capientes de consuetudine cæterorum, quibuscum morum aliqua erat illis æfinitas.*

Ezechiel 31, 15, etc., ad regem Egypti loquens, veluti consolaturus revocat in memoriam, Assyrium olim tanquam cedrum Libani procerum, insignem, viriditate suâ spectabilem, quòd tumidi cordis fastu superbiit, potentissimum nationum Deum fastosum illum subjecisse, à quo dejectus et in frusta concideretur; quo pariter infortunio implicarentur cætera circumplantate arbores; ad inum terræ dejectæ inter medios filiorum hominum, qui in tumulum descenderunt: *In die quando Assur descendit ad inferos* (ait Dominus) *inducitur, operi eum abyso* (ne scilicet egrediat, et prohibui flumina ejus, et coercui aquas multas. Contristatus est super eum Libanus, et omnia ligna agri concussa sunt. A sonitu ruinae ejus commoti gentes, cum educerem eum ad infernum ad sepulcrum). *Et consolata sunt in terrâ in-*

fima omnia ligna voluptatis egregia (hebr. ligna Eden, arboris honorum deliciosissimorum), *atque præclara in Libano, universa, quæ irrigabantur aquis; nam et ipsi cum eo deccident in Infernum ad intersectos gladio, et brachium uniuscujusque sedebit sub umbraculo ejus in medio nationum. Cui assimilatus es, inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis (ligna Eden)? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam; in medio incircumcisorum dormieris, cum eis, qui intersecti sunt gladio: ipse est Pharaos, et omnis multitudo ejus.*

Comparat hic Propheta Assyrium cedro Libani, et cæteros ante ipsum reges in Infernis detentos, arboribus horti Eden, nempe terrestri Paradisi. Prosequitur in c. 32, 19, de rege Egypti, qui unâ cum suis ad inum terræ fundum descendit. *Descende, et dormi cum incircumcis. In medio interfectorum gladio cadent. Gladius datus est, attraxerunt eam, et omnes populos ejus. Ibi Assur et omnis multitudo ejus, in circuitu illius sepelera ejus; omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio. Quorum data sunt sepelera in novissimis lacu; et facta est multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus: universi interfecti cadentesque gladio, qui delerant quondam formidinem in terrâ viventium. Ibi Elam, Mosoch et Thubal... Et non dormient cum fortibus, cadentibusque, et incircumcis, qui descenderunt ad Infernum cum armis suis; et posuerunt gladios suos sub capitibus suis. Ibi Idumæa, et reges ejus et omnes duces ejus. Ibi principes aquilonis omnes, et universi venatores, qui deducti sunt cum interfectis, qui dormierunt incircumcis cum interfectis gladio. Vidit eos Pharaos, et consolatus est super universâ multitudine suâ, quæ interfecta est gladio.*

Animadvertisse juvat, nullam hic fieri de Israelitis mentionem, expressis tantum incircumcis, tyrannis, et savissimis quibusque principibus, hominum exitio datis. Sedulo etiam distinguunt Rabbini inter Israelitas cæterosque populos, Israelitici generis neminem à futuri seculi felicitate excludendum autumantes (4). Vide Ezech. 26, 19, 20, ubi de Tyro, tanquam de homine quodam agens, deducendum illum in abyssum phrasibus vulgaribus convenire credimus, ac tandem in Infernum raptandum, in imo terræ fundo ad populum sempiternum.

Nec ab istis abluunt, quæ legitur apud Jo-

(4) Ita tamen hæc Rabbidorum deliria cum Scripturæ phrasibus vulgaribus convenire credimus, ut nihil tamen habeant magis, quam expressam è Scripturis doctrinam, repugnantem.

sephum (de Bello lib. 2, c. 12, et Antiquit. lib. 18, c. 2). Esseni, ait ille, immortalitatem animarum defendunt, docentes illas vix de corporis laqueo solutas, evanescentes ad cælum veluti longæ servitute liberatas sese conferre. Justorum animæ trans Oceanum translatae in locum quietis et deliciarum plenissimum, ubi nihil incommodi, anni vices nullæ. Impiorum verò extorres aguntur in loca injuriis aeris exposita, ubi aeterna manent tormenta, Quæ in re eadem firmè sedit Essenii ac poetis nostratibus, cum sollicit Tartari et Plutonis regna describunt, sententia. Idem Josephus de Pharisæis testatur, habere illos persuasum, animas immortales post decessum delictis in alterâ vitâ frui, faciliorem habere in alia corpora regressum. Hæc de probis, improbas verò animas tenent æternis penis addidit.

Ab aliorum Judæorum dogmate quoad penas impiorum ac justorum præmia non recedens Philo (de Congressu querendæ eruditioris causâ), æquè tamen dissidet à paganorum et Esseniorum pariter sententiâ, quod attinet ad Infernum. Quæcumque enim feruntur de Tantalus, Sysiphis, Tityonibus, cæterisque ejus saporis apud poetas, ad fabellas amandat, certum constituens, Infernum nihil esse aliud quàm impuram et vitiosâ fœdissimam vitam. Hæc ille quidem allegoricè. Cæterum asserendum nobis de auctore isto credimus, nihil satis exactum scripsisse illum, sive de loco, ubi impiorum animæ torquentur, sive de suppliciorum genere. Quia et hæc omnia tormenta intra illum tantum temporis articulum definire videtur, quo impiorum animæ divortium faciunt à corpore, amarum illis oppidò momentum, et ingentium malorum complexum.

Constat inter omnes, apertissima legi in novo Testamento de Paradiso et Inferno, gloriâ justorum et impiorum supplicis, beatitudine æternæque igne, utranque paginam implentia testimonia. Postremâ illâ judicii die hanc profert Jesus Christus adversus impios sententiam (Math. 25, 41): *Discedite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Justos verò hisce consolabitur: Venite, benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* S. Joannes in Apocalypsi (Apoc. 2, 11, et 20, 6, 24, et 21, 8) Infernum designat nomine *abyssi, perditionis, et mortis secundæ*. S. Judas hæc scribit v. 6 de angelis, qui non servaverunt suum principatum: *In judicium magni diei vinculis æternis sub caligine (Dens) reservavit. Sicut So-*

doma et Gomorra, et finitima civitates simili modo exornicata, et abeuntes post carnem alteram; factæ sunt exemplum, ignis æterni penas sustinentes. Similiter et hi, qui carnem quidem maculant. Frustra in re certâ testimonia coguntur.

ARTICULUS VII.

Metempsychosis.

Ut de metempsychosi tractemus, et argumenti connexio petit, et sententiæ in eam rem Pharisæorum et Rabbiorum complurium exposcunt. Docebant Pharisæi, Justorum animabus post factum è priori corpore divortium, primum dari in alia quæcumque corpora aditum (Joseph. Antiquit. l. 18, c. 2. Et de Bello l. 2, c. 12). Tradit etiam Philo, de *Somniis*, animas ex aere in corpora illabentes, post solum corporis vinculum, aërem repetere; ex illis verò aliquas invisam semper habere materiam, nihilque magis metuere, quàm ut iterum ad corpora redigantur, alias autem aversâ planè ab illis indole, insitâ natura propensione, corpora iterum reposece.

Quicumque inter Judæos favent metempsychosi, sive, ut appellant, animarum circumvolutioni, laudant in eam rem illud Jobi 33, 29: *Hæc omnia operatur Deus, tribus vicibus pro singulos (homines); quod illi explicat de triplici revolutione, seu triplici regressu animarum ad corpora.* Alii verò dictum exponunt de triplici animâ, quam hominum singulis assignant. Verus tamen et genuinus loci sensus est, Deum semel, bis et tertio, i. e., frequenter, hominem à discrimine liberare.

Pro metempsychosi etiam afferunt locum Isaie 22, 14, ex paraphraste chaldæo: *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, Chaldæus habet: Usque ad secundam mortem; nempe, ut Judæi exponunt, ad secundam usque corporis, ejusdem animæ contubernii, interitum; quo secundo in corpore anima commissa priori vitâ seclera eluet. Reipsâ tamen sermo ibi est de morte æternâ, quam nomine secundæ mortis S. Joannes semel, iterum et tertio in Apocalypsi designat (Apoc. 2, 11, et 20, 6, 24, et 21, 8). Afferunt tandem auctoritatem libri Zohar (Zohar, Parras Haja Sara), vetustissimi et magni inter illos momenti, non obscurè metempsychosi faventis.*

Nihil tamen habent Judæi vetustius Josepho, et Philone, quorum testimonia addimus. Constat etiam ex Evangelio, opinionem illam Jesu Christi ætate plurimum apud Ju-

dæos invaluisse; querens enim Christus ab Apostolis, quis ipse qualisque à Judæis reputaretur, respondentes audivit (Math. 16, 14): *Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam; alii verò Jeremiam, aut unum ex prophetis.* Et Herodes Tetrarcha (Math. 6, 14, 15, 16), auditâ prodigiorum Jesu Christi famâ, venit in suspicionem, num Joannes Baptista, quem ipse obtruncaverat, rediisset ad vitam. Obtinebat maximè dogma illud in Oriente, et apud Ægyptios potissimum, qui constanti semper fide huic se inhæsisse jactabant, Herodot. l. 2, c. 125 (1). Obtinebat pariter et apud philosophos, sive platonicos, sive pythagoricos, nec ab aliis faciliè, quàm à paganis, receperunt Judæi.

Nihil enim satis ad illud conducens occurrit in Scripturâ; loca enim omnia, ubi sermo est de transmigracione spiritus ex uno in alterum hominem, explicanda sunt de Spiritu sancto, ab uno in alterum derivato, e. g., à Moysè in Josue, à Josue in Othonielem, ab Eliâ in Elizeum; cum scilicet Deus decessoris spiritum in successorem transfundit. Afferunt etiam in hanc rem sanctionem illam legis, quæ Israelitis mandat, ut viduam fratris sine liberis decedentis superstes frater ducat, quò defuncto illi proles suscitetur. Sed quid hæc ad metem-

(1) Herodotus (lib. 2, cap. 125) metempsychosis doctrinam Ægyptiis evidentissimè attribuit... *Τὸ συνέταξεν δὲ κατὰ φύσιν, ἡ δὲ τοῦ διὰ τῶν ἀνθρώπων ἰδιότης, κ. τ. λ.* Auctor *Investigationum philosophicarum de Ægyptiis et Sira* (de Paw) Herodotum erravisse contendit, et in errore etiam indixisse Clementem Alexandrinum, Diogenem Laertium, et Philostratum (tomo 2, p. 169); sed, juxta morem, auctoritates non citat sufficientes ad probandum hunc errorem Herodoti.... In adnotatione dicit: *« Servius Virgilii commentator Ægyptiis singularem opinionem etiam attribuit, apertè autem falsam, et sine dubio loquitur de iis quæ animadverit Servius in suo commentario Æneidos (lib. 5, v. 68), scilicet Ægyptios tentavisse defunctorum corpora servare diu, ut anima illis subdita maneret, et in alia corpora transire tam citò requirit. Hunc locum verò Servii dignum esse credo in quo attentio defigatur, cum clavam ille locus contineat contradictionem quæ inter veteres auctores existunt de metempsychosi apud Ægyptios. Difficile erit intelligere cur corporum conservatio tam magni momenti esse visa sit populo in metempsychosim credenti. Juxta Servium hæc ipsa idem Ægyptiis dedisset ideam condiendorum corporum, ut defenderetur anima à transmigracione quæ juxta vulgarem opinionem post totam corporis dissolutionem tantum fiet, quod omnino verbis Herodoti congruit: Τὸ σώματι καταφύγει. Cæterum animarum huiusmodi transmigracione in corpora aliorum animalium in multis monumentis ægyptiacis edingitur.*

psychosim? Nec sanè magis congruit, quod afferunt ex Gen. 5, 19: *Pulvis es, et in pulverem reverteris*; quasi scilicet apertissima hæc sint pro regressu animæ ad secundam vitam, resolutio per mortem priori illo ac terreno corpore. Reipsâ hinc textus ille exprimit necessitatem mortis, tumeni post crimen impositam.

Cabalistæ, potissimi dogmatis hujus assertores apud Hebræos, levissima plura et minuta ad eam rem afferunt, quorum numerus et sedulitatem nostram vincit, et futilliora sunt quàm ut juvet in presentem singula expendere; cum maximè ea tantum afferre studeamus, quæ apud veteres Hebræos sancta erant in hoc argumentum. ut locis quibusdam Scripturæ lux affundatur. In igitur potissimum dogmatis de transmigracione fundamentum (Menass. Ben Israel de Resurrect. mortuor. l. 2, c. 18). Ne ulla maneat animas causatio, quasi scilicet in malè affecta corpora demissæ omnia servare Dei præcepta vix ac ne vix quidem valerint, quippe quarum aliis obtigerit corpus melancholicæ humoris nimis tetrum, aliis biliosum, aliis ad iracundiam proum, aliis ad voluptatem factum; his igitur omnibus tollendis causationibus Deus optimus, per alia et alia corpora animas illas traducet, ut si fortè contigerit, quòd supplicia damnetur, nullam præterire possint pro se cautionem. Ita commodum est cuique eum perfectionis gradum, quem in priori corpore attingere non poterat, assequi in secundo, atque ita tandem ad alterius vitæ felicitatem sibi destinatum pervenire.

Tertio autem hanc animarum transmigracionem repeti autumat ab illo Jobi (1), quod à nobis supra laudatum, altero tamen explicari sensu demonstravimus. Ad rationes cæteras supra deductas quod attinet, nihil sanè ille minus, quàm metempsychosis necessitatem evincunt. Nullam nos quidem justam prætere posse causationem, si ab officio defuerimus, neque impositum nobis perfectionis pensum solverimus. Nihil impossibile exigat Deus, nec nisi pro meritis supplicia decernit.

(1) Ex omnibus Jobi textibus nullus fortè anima veram destinationem stabilit evidentissimè versiculis 25 et 26 capitis 19: *Scio enim quid redemptor meus vivit et in novissima die terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle meâ, et in carne meâ videbo Deum meum. Quantum torquetur sensus horum verborum, inde firmissima emergit fides immortalitatis, nec quidquam superest Hebræos calumniantibus, nisi ut libri Jobi denegent authenticam quæ suo loco adstructa.*

Mirari autem subit, quomodo Judæi in eam persuasionem venire poterint, animam Joannis Baptistæ in Jesum Christum migrasse, cum Joannes Jesu Christo vixisset cœvus, Baptismo illum tinxerit, suoque testimonio commendaverit. Sed certum tenent Rabbini, ad tres usque animas homini assignari, ac fieri utique posse, ut unam habenti animam altera deinde superveniat (vide R. Isaac Lorient. de Revol. anim. cap. 5); altera, inquam, sive ante actæ vite scelera expiatura, sive novum perfectionis gradum adeptura, sive officium suum majori curâ impletura. Tunc secunda illa anima veluti spiritalis pater habetur illius, quem animat; quo sensu eissent Rabbini sanctis viris filios esse posse in alterâ vitâ. Commodum itaque fuit animæ Joannis Baptistæ, ut post obitum in corpus Jesu transmigraret; atque nimis credulis ea persuasio induci potuit, Joannem Baptistam iterum ad vitam rediisse, et miraculis coruscasse.

Neque in homines tantum migrare animas putabant; pronus illis erat in bruta et in res etiam inanimatas transitus; asserit enim Rabinus quendam nosse se virum quemdam maledicum, cujus anima in arentem quemdam torrentem missa fuerit, seque illic eam versantem agnovisse. Hanc ille fabellam, quamquam alioqui supra fidem, credulis discipulis persuasit. Tenebat insuper, virorum animas ad numerum corpora interdum migrare, quamquam tunc steriles animæ illæ manerent, nec perfererentur; unde, inquit, factum est, ut Deus nonnisi rarò postremam hanc revolutionem permitat. Sunt tandem quæ transformantur in leones, in angues, in asinum, singule juxta pravam illam, quam fovent, indolem (vide Jechel Male apud Gaulmin. not. ad vitam Moysis).

Hanc animarum revolutionem ad allegoriam detorqueere visus est Philo (de Legib. special.), ita commentus: «Quicumque rationis disciplinâ non imbutur, ille in bruti naturam transmutatur, quamquam alioqui nihil illi de pristina hominis figurâ decedit.» Constat tamen veteres æque et recentiores metempsychosim reipsâ tenuisse; quam pariter in locis supra laudatis Philo non obscure præfert, quamquam ipse non meminit nisi de revolutione animarum in corpora humana, quæ omnium est communissima. Utramque verò tenebant veteres, nec ad tempora, sive ad certam revolutionum periodum definebant (Ovid. Metamorph. lib. 15):

Omnia mutantur, nihil interit. Errat, et illic hæc venit; hinc illuc, et quæ libet occupat aris

Spiritus, æque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster nec tempore deperit ullo

ARTICULUS VIII.

Purgatorium.

Modò quid Judæi de Purgatorio sentirent, investigandum. Profectò nosse illos aliquid de Purgatorio, toto anno ab obitu hominis perseverante, ex iis quæ supra deduximus, satis arbitrò constare. Eâ temporis periodo integrum est animabus ex infernis ad terram ascendere, corpus suum invisuris, loci, et homines, quibus peculiarem habuerant consuetudinem. Toto hoc temporis spatio pro animarum requie preces offerebant. Judæi, solaminis aliquid illis, quietis, et à criminibus expiationis se allaturos sperantes.

Veterum Judæorum in eam rem sententia luculentè satis exprimitur 2 Mach. 12, 40, 45. Cùm milites quidam hebræi in certamine necati inter legenda spolia invenirentur celata ferre sub vestibus idolytha quædam, è manubis templi Jannæ, quod crimen erat contra legis sanctionem apertissimum (1): *Omnibus manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse.... Atque ita ad proces conversi, rogaverunt, ut id, quod factum erat, delictum oblivioni traderet.... At Judas factâ collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* Habebant ergo persuasum, in locum quemdam illos amandatos esse, ubi levaminis aliquid precibus et sacrificiis sentirent, et non in loco detineri, unde egressus omnis præcluditur. Tenebant illi, locum, ubi *prævaricatores Israel*, nempe qui libertatem à pœnis sperare poterant, torquerentur, ipsissimum esse infernum, locum illum destinatum supplicis æternis impiorum, atheorum et scelestissimorum, quos nulla maneret spes reditûs et libertatis; discrimen tamen esse inter hos et priores illos rebantur. Primò ad penam quod attinet, minoribus supplicis prævaricatores illos torqueri; secundò breviori tempore; constituta enim in prævaricatores Israel pœna ad certam diem determinata erat, quin et levabant plurimum precibus et oblationibus viventium; impiis æterna omnia.

Fabellas etiam in libris suis narrat, quibus dogma de Purgatorio longè latèque apud illos vulgatum haberi demonstratur (vide Cod. Chagigæab, et Israel pag. 170, col. 2; Bartoloc.

(1) Deut. 7, 25, 26: Nec inferes quidquam ex idolo in domum tuam.

l. 2, p. 153). R. Elizaüs, filius Abiæ, superstes adhuc semel in Paradisum introductus, ingratum aliquid spectavit; quare minus lætus pedem inde retulit. Docuit ille duo rerum principia, bonum nempe, et malum, in heresim degenerans: nomen pariter immutavit in *Elizæum Acher*, id est, *Elizæum in alium transmutatum*. Discipulum suum R. Meir hortatorem habuit, ut tandem respiceret, quod et in exitu vite executioni mandavit. Cùm autem de viri illius salute post obitum plures dubii versarentur, fidem suam obligavit Meir, post obitum emissurum se è præceptoris tumulo fumum Purgatorii, cui ille addictus esset, indicium; quem pariter fumum statim imperio suo cessaturum edixit Johanan Rabinus, in signum educti hominis è Purgatorio, utroque fidem suam liberante, salus Elizæi certa constitit omnibus.

Narrant pariter (R. Tanchun. Paras. Toleth Noab.), R. Akibam per cœmeterium transcurrentem, in hominem diu antea defunctum incidisse; qui ingentem pondere lignorum sarcinam in humeris deferens, præcipiti cursu rapiebatur. Interrogatus à Rabbino, quis esset, num alicujus indigeret opis, respondit, se quidem damnatum esse ad lanium, et carbonarium exercendum; dùm viveret, telonarium egisse, non sine pauperum extortione, atque ingentium aliorum criminum maleficio. Raptim hæc dicebat, rogans, ne diutius retineretur, moram omnem pœnarum suarum prorogationem esse causatus; si quid autem vellet sibi gratum præstare, curaret ut uxorem suam, quam fetam reliquerat, conveniret, et si fortè natum ex eâ filium intelligeret, feminam rogaret, ut filium ipsam ad offerendas pro patre preces instrueret in hanc formulam: *Benedicite Dominum, et sit ille benedictus.* Filium Akiba nactus circumcissione initiavit, docuitque Deum rogare; duxit ad synagogam, et vix puer ille præcem in illa verba concepit: *Benedicite Dominum, et sit ille benedictus in secula seculorum,* pater è Purgatorii flammis liberatus, pro visum sese offerens Akibæ, de præstito sibi pietatis officio grates Rabbino egit quam maximas.

Sabbati dies gratiarum est et indulgentiæ animabus Purgatorii, si Judæos audias; omnes enim pœnæ eâ die suspenduntur. Cui dogmati fidem recusanti alicui, Rabinus ad sensum demonstravit, nullum eâ die fumum è tumulo patris sui offerri ostendens. Indulgentiæ est pariter dies solenni expiationis sacra; cùm

enim precibus multas horas impendant Judæi, plurima exerceant penitentis operâ, plurimum id pariter solaminis afferri miseris illis opinantur. Rationes etiam eâ die singularum animarum suppulat Deus. Persuasum est autem Judæis, animas illas in loco expiationis non nisi duodecim mensium spatio persequerare; duodecim, inquam, mensium, non anni, quòd scilicet annus tredecim interdum mensibus, sicut intercalariis accidit, constet.

Est autem Purgatorium, dicunt illi, in *gehennâ superiori*, quam etiam appellant sinum Abrahæ, thesaurum viventium, hortum Eden. Infernus est autem in *gehennâ inferiori*; in duos enim gradus distinguunt Infernum (V. Vindeo de vitâ futuro. Statu sect. 8). Tenent pariter, Israelitas omnes partem habere in futuro seculo (Judæi in Talmud frequenter), nempe in beatitudine, quò statim post obitum, vel saltem post expiata in Purgatorio crimina recipiuntur. Ilanc falsam illorum persuasionem reprobande credunt interpretes nonnulli Jesum Christum in illo Math. 12, 52: *Qui dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, nec in futuro*, sicut et in altero Matthæi 5, 9, ubi futurum protestatur Jesus, ut nihil illis prosit quòd filii sint Abrahæ, quò à meritis in alterâ vitâ pœnis eximantur.

ARTICULUS IX.

Sententiæ paganorum cum Hebræis consonantes.

Antequàm extrema manus huic dissertationi imponatur, animadvertere operæ pretium duco, quanta sit sententiarum affinitas inter veteres Hebræos, et prisicos è gentilibus poetas atque philosophos. De immortalitatis animarum dogmate communis erat persuasio, non apud Chaldæos tantum, Ægyptios, Hebræos, Indos, atque Orientales ceteros, sed apud Latinos pariter et barbaros, ut tanquam communis generis humani persuasio jure meritoque possit haberi: Cùm de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Utar hęc persuasione publicâ, ait Seneca Epist. 2, cap. 1. Reputarunt illi animam, tanquam portionem quamdam et dimanationem sive favillam divinæ substantiæ (ita Plato in Phædone; Divinæ mundi Opif.; Cic. de Somn. Scipion.; Virgil. Ovid.; Horat.); autamrunt virorum mortem ab Apolline induci, mulierum à Dianâ (Homer. Iliad. et Odys. plus semel). Quæ sanè congruunt cum persuasione He-

bræorum de angelo mortis. Tenuerunt, certa manere in altera vitâ, sive præmia, sive supplicia. Quæ Essenii de Paradiso et Inferno stetit sententiâ, congruit cum opinione Ægyptiorum (Diodor. Sicul. l. 1), quam sibi adoptârunt Homerus (Odys. lib. 19 et 24) et Græci.

Gigantes aqurum pondere oppressi, auda-
cissimi moliminis pomas lucentes (Job 26, 5) ipsi fermè coloribus apud profanos (Virgil. Æncid. 6; Hesiod. Theogon.) ac apud sacros scriptores pinguntur.

Hic genus antiquum terræ, Titania pobes,
Fulmine dejecti, fundo voluntar in imo.

Judicium apud Inferos Minois et Rhadamanti (vide Tertull. Apolog. cap. 47; Lact. Justit. lib. 4, cap. 20; vide Homer., Platon.,

Virgil.) respondet Dei in mortuos judicio. Metempsychosis sententiâ, longè latèque in Oriente et Græciâ pervagata, communis erat pariter, et ejusdem fermè systematis apud Pharisæos, ætate Josephi. Mercurius animas deducens post obitum ad inferos, expressus est ad imitationem dogmatis judaicæ de angelo Michaelæ ad judicium Dei animas sistente. Purgatorium Judaicum occurrit et jam in scriptis non Barbarorum tantum, sed et Græcorum et Latinorum, sive in opinione metempsychosis, quâ animæ ex alio in aliud corpus expiandæ traducuntur, sive cum animabus multa toleranda docent, ut tandem ad insulas Fortunatas et Elysios campos perveniant.

AN VETERES LEGISLATORES

Et philosophi è Scripturâ leges suas et moralem scientiam hauserint,

Dissertatio.

Rectam in scriptis polemiciâ lancem tenere, et in æstu disputationis in adversam veritati partem tantum non abripi, arduum est pariter et infrequens. Certæ ætatis opinio fuit, id omnibus viribus enitens, ut demonstraret veteres philosophos plura et optima quæque tum in legibus, cum in scriptis suis è sacris Judæorum libris expressisse. Accidit etiam non infrequenter, ut variatis temporum circumstantiis contraria probarentur, nihilque intactum relinqueretur, quò intelligerent homines nihil nosse de Scripturis philosophos; quippe qui mentem habent et spiritum, non secus ac reliqui omnes ethnici, errorum tenebris obvolutum; atque in incertum spiritus vagarentur, ut si quid inter eorum libros et mosaicos propheticosque congruere deprehenderetur, id unicè casu, et scintillæ naturalis luminis, omnibus æquè mortalibus 3 Deo concessi, tribuendum fuisset. Eo tandem, quo versamur, seculo, scriptores quidam id sibi, in aliam extremitatem abrepti, probandum susceperunt (Marsham Canon ægyptiac. et Spencer. de Legibus Hebræorum ritual.). Moysen ipsam leges suas et caeremonias Ægyptiis debuisse; quippe qui in Ægypto institutus,

quæ ibi didicerat optima (erat enim juxta sanctum Stephanum (Act. 7, 22), eruditus omni sapientiâ Ægyptiorum) in succum suum transtulerit. Postremam hanc opinionem refutandum suscepimus in Prolegomeno ad Exodum. Modò aliorum opiniones in examen revocandæ sunt.

Ex quo Judæi Ægypti solum deseruerunt, usque ad extremam regni Juda et Israelis ætatem, in suâ semper regione se continentes, colendis agris et terræ ubertati, quæ lacte et melle manabat, promovendæ laboribus suis occupati, tum et curas suas omnes, nutriendis parvulis filiis, meditationi et exercitationi legis intentas habentes; discreti semper ab externarum gentium consortio; mari, quantum commodis suis sat esset propinqui, sed quantum corruptioni morum ex aliorum commercio avertenda satis remoti; cum neque connubia, neque religionem haberent cum idololatriæ gentibus communi, singularem tandem vitæ tenorem sectati, quo et odio erant et contemptui ceteris per orbem gentibus; his, inquam, omnibus perpetuo inter se charitatis foedere ita conjungebantur, ut simul nihil haberent cum ceteris omnibus commer-

cij. Hanc de populo suo ideam subjicit Josephus (Joseph lib. 1 contra Appion. pag. 1053), eademque de illis profani quique scriptores habebant. Tacit Hist. lib. 5; Instituta sinistra, foedâ pravitate valere... apud ipsos fides obstinata; adversus omnes alios hostile odium... Judæorum mos absurdus sordidusque.

Post restitutam è captivitate gentem, minis et claritate nominis et potentia valuerunt; vicissim tamen plus studij positum, tum in colendis veteribus caeremoniis, cum pariter à commercio exterorum sese continendis. Cum tamen frequentibus populî transmigrationsibus et exiliis factum esset, ut per universam terrarum orbis faciem longè latèque plures è Judæis disperderentur, nullaque esset in toto oriente, Ægypto, Africâ, insulis Mediterraneæ, Græciæ, et Italice regio judæis habitatoribus vacua; Hebræi, gens licet omnibus contempta, singulari vitæ genere et politâ admirationem in se omnium gentium, quas inter versabantur, converterunt. Tum omnium versa studia inquirendæ eorum origini, historiis et legibus. Tandem sub Ptolemæo Philadelpho, rege Ægypti, versio legis ex hebræo in græcum suscepta est; ex quo deinde veluti traditi in manus libri philosophorum studia exereuerunt. Nihil tamen certè eâ de re affirmandum suscepimus; neque enim extra omnem dubitationis aleam positum est hunc Ægypti regem, vel bibliothecæ ipsius curatorem eam Pentateuchi versionem procurasse; quidquid enim asseverent Aristæas, Philo, Josephus de versione à Septuaginta adnotata, facili tamen contingere potuisse credimus, ut Judæus aliquis spontè illam susceperit. Tradit Philo de vitâ Moysis Judæos insule Phariî sollempnem ejus rei memoriam singulis recurrentibus annis celebrasse; cum interim alii Judæi solemne ad diem 8 thebet jejuniûm indixissent, quod etiam nostræ ætatis calendaria notant. Addunt Judæi, eo profanatae legis horrore, tridui tenebras orbis universi faciem obdaxisse. Vide Joseph. Scal. in Calend., Jul. in Can., Isagog. lib. 4. Vide et Selden. de Jure nat. et gent. lib. 3, cap. 5; Judæos vetus Testamentum in græcum transtulisse Judæis ceteris invitis, Ligfootus autumavit.

Tunc philosophi, quibus opportunè accidit, ut vernacula eorum lingua, græca scilicet, per totum ferè orientem post constitutum imperium Alexandri Magni ceterorumque post ipsam, vulgaretur, iter aggressi sunt, quo ex-

tra patriam suam viros doctos, unde aliquid discerere conveniret. Ægyptus jam inde à pluribus seculis inter primores sapientiæ laude florentes nationes princeps habebatur. Eò proinde frequentius ventum est. Ipsi pariter Hebræi, exterorum morum discendorum avidi, itinera eâ de re et peregrinationes suscipere non recusarunt; quod exemplo discipulus Jesu filii Sirach, auctoris Ecclesiastici, qui plures se regiones ecurrisse perhibens, idem ceteris prestandi auctor est (Ecclesi. 31, 12; et 16, 25; et 39, 5).

Eo temporis intervallo, quod inter solum captivitatem et Jesu Christi adventum continetur, fama est paganos philosophos è sacris Scripturis in rem suam derivasse optima quæque moralia præcepta, quæ in eorum scriptis admirantur; tum et grandia, quæ de Deo ipsi sentire et gemina cum Moysæ loqui visi sunt. Ex his fontibus Pythagoras, Plato, aliique plures optimam absolutissimæ republicæ suæ politiam derivarunt; ex his Solon majorem legum suarum partem. Pythagoras, qui longè latèque discursisse fertur, Jeremiam in Ægypto, ut fama est, vidit (August. lib. 2 de Doctr. christ. c. 28; et lib. 8 de Civil. cap. 11), Ezechielem in Chaldeâ (quidam apud Clem. Alexand. lib. 1 Strom.). Illum autem non Judæos tantum nosse, sed et ex eorum legibus plures in suam philosophiam transtulisse, Hieronimus apud Josephum est auctor (lib. 1 cont. Appion. pag. 1046). Idem pariter Josephus observat (idem ibid. lib. 2, pag. 1079), Platonem ad Moysi imitationem injunxisse, ut patriarum legum tabulas assidue eives manibus versarent.

Clemens Alexandrinus (Clemens Alexand. Admonitione ad gentes pag. 46), paganos allocutus, asserit, leges Platonis aliorumque legislatorum, Hebræis pro saniori eorum parte deberi; unde etiam optima quæque et bestiam illam eloqui ubertatem hauserint (idem ibid. pag. 47, 48). Plura ejus rei exemplis satis conformem utrique exprimentem rationem testantia in medium adducit. S. Justinus martyr (Justin. Apolog. pag. 15, edit. paris. an. 1656) persuasum habet veteres illos paganos philosophos non tanquam primos præstantissimarum veritatum, quæ in eorum scriptis de mirantur, auctores habendos; vix enim hæc hominî in mentem venire poterant; sed omnia ad Scripturas divinas, quæ illi in rem suam traxerint, referendæ. Singula autem propius dispiciens, demonstrat Orpheum, Homerum, Solonem, Pythagoram, Platonem, aliosque plu-